

Ill/me et R/me Dñe Dñe observ/me.

Georg Wigelum 1998

Decennio jam abhinc, et quod excurrit, zelo salutis animarum et reducendarum ad S. Rom. Ecclesiam exerrantium ovicularum studio permotus, imo vero ob maximam numerum poenitentium loci nostri
5 religione tactorum, et in eodem expiari desiderantium etiam eoactus sum S/mo D'no N'ro Paulo Papa V. pro ampliore ad absolvendum et tot omni ex parte ad nos confluentium conscientias pertractandas potestate humiliter supplicare. Eam potestatem ab eodem S/mo D.N. et Sacri Officii Congregatione intuitu tantae necessitatis
10 feliciter impetravi duraturam ad quinquennium; et hanc ipsam elapso dicto quinquennio denuo ad alterum quinquennium renovari obtinui: qua in re promovenda et impetranda Ill/mae et R/mae Celsitudinis Vestrae zelum animarum ac studium erga nos singulare sum expertus. Sed quia dicta necessitas ob majorem quam tum confluxum
15 in dies accrescit, cogor rursus Ill/mae ac R/mae Cels.V. esse molestus, eamque qua par est reverentia obnixè rogare ut has ipsas facultates, primitus anno 1606. 18^o Cal. Decembris ad quinquennium concessas, ac dein anno 1612. 4. Cal. Julii ad alterum quinquennium renovatas, denuo impetrare dignetur, prout illae dicto anno 1606.
20 primitus concessae fuerunt, quarum copias hic transmittito.

Earum tenor à secunda earum concessione seu renovatione nihil discrepat, nisi quod in hac secunda, librorum prohibitorum à nobis retentorum indicem Ill/mo pro tempore Nuncio Ap/co, in illa vero prima R/mo Ordinario seu ejus Vicario exhibere jubemur. Quoniam
25 niam vero dies docuit nos tum pro salute animarum, tum pro majore etiam tranquillitate conscientiae confessoriorum ultra hactenus concessas, ac jam renovandas facultates paucis adhuc quibusdam indigere, idcirco Ill/mam ac R/mam Celsit.V. etiam atque etiam obsecro ut obtinere nobis laboret ultra supradictas facultates jam
30 renovandas, adhuc istas, videlicet: 1^o Potestas audiendi quascunque personas religiosas, hic confiteri volentes, etiam invitis eo-

/ rum superioribus. 2° Facultas in foro conscientiae tantum dispensandi in impedimentis matrimonialibus occultis post contractum bona fide in facie Ecclesiae matrimonium deprehensis. 3° Dispensandi in juramentis ac juramento firmatis votis, exceptis quae
5 per Extravagantem Etsi Dominici excipiuntur. 4° Cum quibusvis personis etiam ecclesiasticis et regularibus super quacumque irregularitate per eos contracta, occulta, et in foro conscientiae tantum, et ^{si} ~~is~~ hujusmodi censuris irretitae se, non tamen in contemptum clavium, quomodolibet divinis immiscuerint.

10 Deinde ut dictas facultates mihi ac quatuor mei Monasterii religiosis indultas et indulgendas, necessitate id exigente, praeter illos quatuor, etiam aliis qui requisitas in Brevis Apostolico habeant conditiones, possim subdelegare: id enim non raro postulare videtur maximus ad nostrum hoc Monasterium peregrinantium
15 et confitentium una eademque die confluxus: cui decem confessarii expositi vix sufficiunt.

Ac demum, ut non astringamur ad memoratum super librorum prohibitorum Indicem Ill/mo pro tempore Nuncio Ap/co (utpote longius à nobis dissito) exhibendum, sed sufficiat illum R/mo Ordinario
20 aut ejus Vicario demonstrare.

Operam certe dabimus, ut hoc facultatum nobis concessarum talentum otiosum apud nos minime resideat; quemadmodum nec hactenus otiosum resedissee putamus. Nam solo hujus proxime lapsi quinquennii anno postremo, confessiones excepimus ad quatuordecim millia,
25 et hoc ipso quinquennio p er Dei gratiam Sanctae Matri Ecclesiae haereticos restituimus sex et sexaginta; et plures restituere speramus, si quae petimus à S/mo D.N. impetramus. Quare non dubito Ill/mam ac R/mam Celsit.V/am hoc negotium nostrum promoturam, ut quae intime cognoscit quantum sit precium vel unius animarum Christi
30 sti pretioso sanguine redemptarum. Hæc illa beneficiis et me sibi arctiori gratitudinis vinculo adstringet, et se tot bonorum operum participem efficiet. Et jam S/mo D.N. et Ill/mae ac R/mae Cels. V. me meumque Monasterium impensius commendo.

/ Cels.V. me meumque Monasterium impensius commendo.

In Monasterio SS.Martini et Oswaldi,vulgo Weingarten,20 Aprilis,
anno 1618.

Archiv.Postul. Bellarm. 6. copie. / Arch.Vat.Gesuit.19 fol.8 brouil
=====

5

Beatissime Pater

Georgius Abbas Monasterii Sancti Martini ad vineas, servus et orator S/^{is} V/^{ae}, ut fructuosius in vinea Domini cum suis monachis, quorum multi theologiae operam dederunt,se exercere possit, supplicat humillime, ut sequentes gratias illi ex Apostolica benignitate
10 concedere dignetur.

Primo. Ut Abbas possit deputare confessarios,viros idoneos, qui undecunque advenientes audire possint, non solum in Ecclesia, sed etiam dum iter faciunt,et occurrunt poenitentes,qui eis confiteri velint.

15 Secundo. Ut tales deputati possint absolvere ab omnibus casibus, et censuris occultis et in foro conscientiae tantum,etiam reservatis Episcopis,vel Sedi Apostolicae,etiam in Bulla Coenae Domini.

3°.Ut possint absolvere ab haeresi,non deducta ad forum externum, in foro conscientiae tantum.

20 4°. Ut possint libros prohibitos, non tamen ex professo de Religione tractantes, corrigere juxta regulas indicis, et sic correctos permittere poenitentibus,qui eos habuerint.

5°.Ut possit Abbas maturo consilio concedere licentiam uni aut duobus ex suis theologis,legendi libros haereticos ad eos confutandos pro concione,vel in scriptis; et proinde possint in Monasterio
25 teneri tales libri sub fida sera in loco tuto inclusi.

6°.Ut possint deputati confessarii vota simplicia,et juramento firmata commutare,vel in iis dispensare, exceptis quinque Summo Pontifici reservatis. Item dispensare cum conjugatis in petitione
30 debiti conjugalis, quando ob crimen impediuntur.

7. Ut possint absolvere ab excommunicatione ob percussione clericum etiam gravem,et notoriam,sed non deductam ad forum externum.